



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE VERBO DEI|| scripto & non scripto,|| QVATVOR LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, 1599

VD16 B 1607

Diplomas S. Cæsareæ Maiestatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53828)

DIPLOMA S. CÆSAREÆ MAIESTATIS.

RVDOLPHVS II. diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatia, Sclauonię, &c. Rex. Archidux Austrię. Dux Burgundiæ, Stiria, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergę, &c. Comes Tirolis, &c. Recognoscimus ac notū facimus tenore presentium vniuersis. Quod cū nobis humiliter exponi curauit noster & sacri Imperij fidelis dilectus ADAMVS SARTORIUS Typographus Ingolstadiensis, se mortuo iam patre suo, DAVIDE SARTORIO Typographiam eandem omnino continuare statuisse, atque in eo se totum esse, vt non tantū ex iis libris, quos ipsius pater hactenus excudit, aliquos, verū etiam alios antehac nunquam editos, præcipuè verò præstantium Societatis IESV Theologorum GREGORII de VALENTIA, & ROBERTI BELLARMINI lucubrations, quas aut iam ediderint & perfecerint, aut in posterum edituri & perfecturi sint, excudat & in publicum edat. Vereri autem sese ne alij, quod fieri solet, quæstus causa eorundem librorum editioni fraudem faciant, ac proinde nos obnixè rogārit, vt priuilegio ipsum nostro munire, & aduersus eiusmodi fraudem protegere ac defendere dignaremur. Nos benignè considerantes quā præclaram DAVID SARTORIUS ADAMI pater, tum religioni nostræ Catholicæ, tum rei literariæ, diuersis Doctorum virorum libris pulcherrimè diligentissimeque edendis operam nauārit, minimeque dubitantes, quin eius filius ADAMVS vestigia paterna insistendo, industriam omnem & curam adhibiturus sit: prout iam sui specimen edidisse fertur, vt in arte Typographica laudem nō tantū paternam perpetuet, sed etiam, quoad eius fieri possit, augeat, memoratis precibus deesse nolimus: Ideoq; omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis ac aliis, quamcunq; librariam negotiationem exercentibus firmiter inhihemus, ne quis prænarratos libros per decennium, à prima editionis die computandum intra sacri Romani Imperij, Regnorumq; & Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines, simili aut alio quopiam caractere vel forma, siue in toto siue in parte recudere, aut aliò recudendos dare, vel alibi etiam impressos adducere, vendere, distraherēue clam vel occultè citra voluntatem

tatem & consensum præfati ADAMI SARTORII, suorum-
ue hæredum præsumat. Si quis verò secus faciendo priuile-
gium & Interdictum hoc nostrum Cæsareum spernere, negli-
gere aut transgredi conatus fuerit, eum non solum omnibus
exemplaribus, perperam quippe recufis & adductis (quæ qui-
dem supradictus ADAMVS SARTORIUS, aut hæredes eo-
rum ue mandatarij vbicunque deprehensa vel propria autho-
ritate, vel Magistratus loci illius auxilio sibi vindicare pote-
runt) de facto priuandum, sed & pœna insuper decem mar-
charum auri puri, fisco nostro Cæsareo, fraudis vindici, & sæ-
p̄fati ADAMI SARTORII, suorum ue hæredum vsibus ex
æquo pendenda decernimus irremissibiliter plectendū. Man-
damus ergo vniuersis nostris ac sacri Romani Imperij Re-
gnorumq; & Dominiorum nostrorum hæreditariorum sub-
ditis, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, digni-
tatis aut præminentia existant, tam Ecclesiasticis quam sæ-
cularibus, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti, vel
proprio vel superiorum suorum nomine & loco Iuris ac Iu-
stitiæ administrationem exercent, ne quempiam priuilegium
hoc nostrum Cæsareum temerè & impunè transgredi aut
violare patiantur, quin potius contumaces, si quos compe-
rerint, præscripta pœna plecti, aliisque idoneis modis coër-
ceri curent: quatenus & ipsi eandem multam euitare malu-
erint. Harum testimonio literarum manu nostra subscripta-
rum ac Sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum. Da-
tum in arce nostra Regia Pragæ, die decima septima mensis
Augusti. Anno Domini millesimo quingentesimo, nonage-
simo sexto. Regnorum nostrorum, Romani vigesimo primo,
Hungarici vigesimoquarto & Bohemici itidem vigesimo
primo.

Rudolphus.

Io. VV. Freymon.

*Ad Mandatum sacre Cæsareæ
Majest. proprium*

Io. Baruitius.